OCCASVS IN ORTV

ORATIO

GABRIELIS BEATI E SOC. IESV

HABITA AD S. D. N.

VRBANVM VIII.

IN VATICANO PONTIFICVM SACELLO

Ipso Concepti, & Morientis Christi Die.



Romæ, Typis Hæredum Francisci Corbelletti. 1644.

Superiorum Permissu.




EMINENTISSIMO
PRINCIPI
FRANCISCO
CARD. BARBERINO
S.R.E. VICECANCELLARIO
GASPAR LASCARIS F.



VEM mihi expertus ſum aliàs tutiſsimum rerum mearum portum; non poſſum, ſi homo ſim, ijs, quibus aliquid debeo, eundem non deſignare, Princeps Eminentiſſime. *Cui verò plus debeam, quàm illi, quem ingenuis in diſciplinis ſortitus ſum Inſtitutorem? cuius de Chri-*

sti in Ortu Morte orationem, vt audisti nuper Vaticano in Sacello non ingratè, ita releges spero non iniucundè, me deferentem benignè excipiens, qui illum perorantem perhumaniter excepisti: Atque interim opportuna hac, importunaque officiorum repetitione ego illud impetrabo (quid enim à Te artes bonæ non impetrent!) vt paullo post de Geometria per Opticam, ex illius doctrina, Tuis auspicijs disputanti mihi, adesse velis eo beneficij genere, quo Tibi iam litteras propemodum ipsas fecisti vectigales: Ita namque (quod meo bono cæpi) Tuis enutritus beneficijs, vni adolescam Tibi; vt (quod votorum summa est) Tibi viuam, & perennem vni. Vale.



ORATIO.



PPOSITE recurrentibus annis incidit hodie, quod incidisse olim creditur, dum factum est, B. P. vt eadem cadentis Martij Parasceues die, qua oriens æternus Dei Filius, specie sua, & Ps. 44. pulchritudine sua processit ad nos, perpetuùm in domo Iacob regnaturus; moriens Filius hominis non Luc. 1. habens speciem neque decorem, in Crucis solio, Isa. 53. Iudæorum, immo mortalium omnium Rex immortalis salutaretur, & regnaret à ligno Deus. Ita Ps. 95. enim, dum adamussim primis extrema respondent, posuisse, dum voluit, hoc est hora sua, animam suam intelligunt vel increduli; nos verò natalem funeri, & tristia lætis mirè innexa videntes, audemus vel per cædem, ac vulnera Christum antecedentem ad Regnum sequi, quando Regnum, idque æternum sanguine peti potest.

Et primò quidem Imago pulcherrima Diuinitatis, Rex Salomon verè formosissimus, Paternæ beati-tatis egressus è sinu, tanquam sponsus è Thalamo
Ps. 18. suo exultauit vt Gygas, ad viam decurrendam,
Cant. 4. qua ad humanæ naturæ properans complexum, descendit Virginei Vteri in hortum conclusum; hoc est, in Paradisum voluptatis, vt eam iterum fœlicitatem operaretur, quam primus ille Para-
Gen. 3. disi Agricola, dum sua bona non nouit infortunatus, imprudenter amiserat. At modò quàm infaustis auspicijs, ad pœnarum inaugurandus imperium, non exultans ac festinus, sed pauens ac mærens, hortum alterum ingreditur, dolorum ferale Seminarium; vbi exanimatur timore constantia, expallescit ac trepidat fortitudo, in terram prolabitur cæli columen, atque inter angores, æstusque curarum, diffuso sanguine, mar-
Cant. 5. cescit in luctu gaudium sæculorum. Venisti profectò in hortum cælestis Sponse, non tuum, sed in nostrarum terram miseriarum, quæ diuino sterilescens maledicto, spinas tantùm germinare
Gen. 3. nouit calamitatum, & arefacta vitæ arbore, de ligno mortis fructus progignere venenatos. Sed benè nobis est filijs Adæ; dum enim in hoc ærumnarum horto ad nostrorum cogitationem scelerum, horroremque suppliciorum, toto dehiscente corpore in sanguinis imbrem soluitur, ac liquescit Deus, tam fælici irrigatione fæcundata terra,
Gen. 3. producet iterum virtutum omne lignum pulchrum visu, aspectuque delectabile, & insito in mortis arbore vitæ surculo, apparebit rursus Paradisus voluptatis.

Na-

Nazarenum in hortum euocatus è cælo à natura
humana sponsus, complexus eam hipostatico nexu
arctissimè est, eique impertito, quod tandiu suspira- Cant.1.
uerat, osculo Diuinitatis, decorem indidit ac speciem
imperio dignam: Contra nunc, insidiante charitate
deductus in hortum Gethsemani sponsus sanguinum, Exo.4.
captiuus tenetur in peccatis nostris, atque impurissi- Thren.4
mo proditoris osculo exceptus, speciosus forma præ Ps.44.
filijs hominum mirè deformatur, & Rex gloriæ ad
regnum designatur opprobrij; Nam quemadmodum Oce.3.
callidissimus olim serpens, in faciem primi hominis, Gen.2.
in quam inspirauerat Deus spiraculum vitæ simul, ac
Regni, simulato beneuolentiæ osculo spiritum mortis
inhalauit ac seruitutis; ita Iudas, serpens verè versi-
pellis, osculo inspirat in faciem Regis vitæ spiraculum
mortis, & captiuitatis; vt cuius deliciæ erant esse
cum Filijs hominum, osculis, hoc est, hominum deli- Prou.8
cijs mancipetur. Atque sicuti pacis osculo accepit
Sponsam Rex pacificus, quo Iustitia, & Pax exoscu- Ps.84.
latæ, in Iustitiæ firmitate, & in pulchritudine Pacis
stabilirent imperium Principis pacis sempiternum;
ita osculum scelestissimi Iudæ, belli fuit, ac perfidiæ
tessera, quo odium, & iniquitas sese inuicem exci-
piendo, dolorum Regem morte iniustissima condem
narent. En primum ab horto rapitur in iudicium, in
funiculis Adam, qui dum Iesum obstringunt, fiunt vin- Ose 11
cula charitatis; ibi Iudæorum iniquitas accusat inno-
centem, qui, dum loquitur veritatem, odium sibi
peperit militis impudentis, à quo Diuina facies, sedes
gloriæ, impudentissimè verberatur. Conspirarunt
enimuero odium, & iniquitas; odium, quia cæcum
furore est, speciem diuini vultus non nouit, ideoque
di-

dignum iudicauit, qui plecteretur; iniquitas, quia tantùm vnius est auris apertæ mendacio, sonum veritatis non percepit. Percepit tamen, & dulcedinem vocis, & vultus venustatem Virginis charitas oculata in primis, in primis aurita; quæ electi ex millibus sponsi ad se venientis vocem exaudiens; ostende inquit mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis, vox enim tua dulcis, & facies tua decora. At quàm perfida est iniquitas Principis Sacerdotum, apud quem blasphæmus existimatur ille, qui solus verax est, licet omnis homo sit mendax? quàm exoculatum, atque excors est odium militum sæuientium, qui bina illa oculorum sydera sordido velo, tanquam nube; fœdare audent; qui vultum Sole splendidiorem, & regia plenum maiestate deturpant sputis, pugnis cædunt, depalmationibus seruilem in modum dehonestant, vt inclusam diu rabiem euomant, ac tandiu conceptum virus effundant? sed quàm citò videbitis in sede maiestatis suæ vultum hunc vltrice iustitia plenum, quem plenum gratia contemnentes aspicere recusastis? quàm serò lamentabimini incassum, lux veritatis non illuxit nobis, cuius vocem incircuncisis auribus audire respuistis? Pudet hìc singillatim impudentissima referre ludibria, quæ nox illa suis in tenebris vidit inuita; recreor tamen noctis alterius recordatione iucundissima, quæ plaudente cælo, de regalibus sedibus, in gloria charitatis suæ venientem ad nos vidit, vt sedentes in tenebris, & vmbra mortis erueret in admirabile lumen suum, & in regno vitæ cum Principibus collocaret.

Cant. 5. Cant. 2. Ps. 115. Matt. 26. Io. 1. Sap. 5. Sap. 18. Luc. 1. 1. Petr. 2. Ps. 112.

Verùm, ne semel sæuiat odium, & ne vnum tantùm tribunal vitiet iniquitas, Romano Præsidi sistitur; vbi

vbi veritate tacente, proclamante iniquitate, odio debacchante, perturbatur adeo Romani Iudicis animus; iustitiæ oculus, cæteroqui lynceus, adeo hallucinatur, vt quærens quid puniret, non aspiceret quid damnaret; & cupiens esse misericors, amorem exercuerit omni odio atrociorem; crudeli sententia flagellis emendans, qui nunquam errauerat; nisi forte crimen fuerit, præ nimia erga nos charitate hac ipsa die semetipsum exinaniuisse, dum formam serui accipiens habitu est inuentus vt homo. Sed sic solet iniquitas misereri. Philipp. 2. Alligatur itaque infami saxo Regum Rex, & vilissimum veluti mancipium virgis, loris, fustibus, ferreis flagris, ferocissimis à satellitibus, crudelissimè cæditur, discerpitur, lancinatur, excarnificatur; natant diuino sanguine pauimenta, & dum deficit in Christo plagis locus, non deficit charitas; dum deficiunt tortoribus vires, non deficit furor. O verè nouum nequitiæ nostræ prodigium! vt tanti staret Deo, humanam sibi copulasse naturam; sicut Cant. 3. enim cælestis hic Salomon, in die desponsationis suæ, ferculum sibi parans de lignis libani, columnas fecit argenteas, reclinatorium aureum, ascensum purpureum, mediaque charitate constrauit; ita in die pœnarum suarum, de virgis, fustibusque sortitur piaculum, marmoream plectitur ad columnam, & non habens vbi caput suum reclinet, toto corpore inclinata in se sustinet ferrea pondera flagellorum; solum descensum habet purpureum, plurimus enim largis vndique riuis descendit sanguis, qui cum sit ex amore profusus, stratum verè facit charitatis. Parcite iam crudeles patricidę! Vt quid enim in laceram hanc spirantis mortui effigiem vlterius deseuire? habet quippe

in hoc dolorum conuiuio vestri crudelitas odij delitias suas, nam sanguinem, quem auidè tandiu sitiuit, abundè iam bibit. Parcamus & nos: habent enim & feræ pessimæ iniquitatum nostrarum, vnde famem sedent in dilaceratione corporis innocentis. At stultum est optare, vt qui Deo nunquam pepercerunt in culpis, parcere nunc discant in pœnis. Rudimenta sunt hæc perfidiæ humanæ lanienam diuinam facere condiscentis.

A Virgis venitur àd Spinas, quibus in coronam complicatis caput illud, Diuinæ sacrarium sapientiæ, coronandum stellis, horribili ludo redimitur, Rexq. excipitur iocularis, qui seriò vapulauerat Reus.
Cant.3 Egredimini nunc Filiæ Sion, & videte Regem Salomonem, non in diademate gloriæ, quo coronauit eum Pater suus, in die natalis sui, cum eum introducens
Hebr.1 in orbem terrarum, proposuit cæli Senatoribus, & terræ Regibus adorandum; sed in diademate ignominiæ, quo coronauit eum Nouerca Synagoga, sordida in purpura ludificatum, arundineo in sceptro derisum, spineo in serto atrocissimè vulneratum. Ac ne tantum militum scelus, & maius Christi dedecus
Io.19. vnius Prætorij parietibus clauderetur, educitur foras portans spineam coronam, & purpureum vestimentum; qua forma aspiciens illum è turba Mater, non agnoscit in filio, quæ in eo quondam hac ipsa luce Diuinus Spiritus admirabili ratione membra distinxit; quare proposita omnium oculis miserabilis dilacerati potius cadaueris, quàm viui hominis species, miserationem non inuenit, sed acuit rabiem; absoluto namque infami sicario proclamatur in patibulum Deus. Decrat nimirum hoc angoribus tuis dolorum

Rex

Rex, vt sceleſtiſſimo etiam graſſatori poſthabereris! At in sceleris regno innocentiam præferri omnino non decuit; immo decuit te hodie hac etiam ſub lege fieri iniquitatis, vt eos qui ſub lege erant perfectè redimeres, qui factus hodie ex Muliere, cæleſtis Regni nos feceras cohæredes. Galat. 4

Sed iam inimicorum traditur crudelitati, noſtræ Auctor fælicitatis; iam ſuprema rerum poteſtas trahitur ad ſupplicium; vident collachrimantes Filiæ Hieruſalem Diuinum Salomonem non eburneo regnantem in ſolio, ſed ſub informi crucis ligno laborantem, quando ludibriorum, pœnarumque principatus factus eſt ſuper humerum eius; vident non properantem ad montem aromatum, & collem thuris, ſuper quem conſtitutus eſt Rex in die, qua factus eſt homo, ſed ad horrida Caluariæ montana ſub intolerabili ſupplicij ſarcina raptatum; vbi non cæli Regnum, ſed cæli Rex vim paſſus eſt, & violenti rapuerunt illum; manibus namque pedibuſque acuminato ferro traiectis, diuulſo pectore, diſtracto corpore, in patibulum actus (ò dignum mundi lachrimis ſpectaculum, ò extremum improbitatis noſtræ, diuinæ charitatis argumentum!) gemente cælo, furente terra, fremente rerum natura Chriſtus expirauit; reddens bona fide ſpiritum ſuum Patri ſuo eadem qua acceperat die; atque vt ſe magis probaret eundem, ſepelitur in alieno, Angelis pacis amarè flentibus, qui præcinentibus Angelis pacem, in alieno natus erat; quando & Angelo confortante moritur, qui fuerat Angelo nunciante conceptus; ſolùm diſſimilis, quòd naſcente Sol geminatur, & fulgent noua ſydera, moriente Sol deficit, & antiqua ſydera obſcurantur;

Iſa. 9. Cant. 4 pſ. 2. Mat. 11 Iſa. 33. Luc. 2. Luc. 22 Luc. 1. Mat. 27 Oros. hiſt. l. 6. c. 18.

mori-

moritur media luce, in medio terræ, in vertice montis, natus nocte media, in terræ angulo, occulto in specu; ditatus tunc Regum muneribus, & Virgineo lacte nutritus, nunc suis nudatus vestibus, felle & aceto potatus; nascens ab Herode, à quo timetur fugit, moriens Herodem, à quo contemnitur adit; tunc à Pastoribus, Regibusque adoratus salutatur Israel Rex, nunc à militibus, Principibusque delusus, per iocum appellatur Rex Iudæorum.

1. Cor. 1 Sed qui Iudæis scandalum, & gentibus stultitia, qui despectus, & nouissimus virorum, opprobrium hominum, & abiectio plebis, visus hodie ijs es, quos iniquitas obcæcat atque inuidia; Nobis, quibus oculos aperit charitas, & per velamen lacerum Diuini corporis, aspectum dirigit fides, quàm speciosus apparuisti in ipsa tui positione decoris; quàm inter ludibria venerabilis; liuore, ac vulneribus quàm formosus! Vt iam, dum & ab vtero Virginis, & à ligno Crucis regnans, salutem nostram operaris, non liceat nobis non ardenter amare charitatem istam; sed cogamur hodie maximè (præter gentium morem) Occidentem potius, quàm Orientem Diuinitatis Solem adorare.

Ps. 53. Ps. 21. Ps. 73. Plutar. in Pōp.

D I X I.

